





1748.

1. Breithauptus, Christianus: P^{ro} manus . . .
Francisci Coradi Consadi . . . publico academiae . . .
nomine consecratum interprete . . . An. Breithaupto
2. Dommerich, Joan. Christoph: Consensum in facti alieni
imputationem verum imputationis esse fundamentum
probat atque accessionem suam rationem reddit.
3. Eisenhart, Dr. Fidericus: De electione corporis juris
civilis in studio juris non negligenda. . .
4. Eisenhart, Joann. Fidericus: De debilitate viduarum
summarum in Germania praesulum protestantium.
- 5^o Haebertii, Franc. Dominicus: Verarum vetustatis
monumentum existens statuta Susatensis Latine
sacculo III in libera restata . . . in locum edit.
- 2^o Haebertii
6. Haebertii, Franciscus Dominicus: De lite inter . . . Jo-
mus Bavaricum et Palatinum super exercitiis S. P. T.
vicariatus Admani inter utramque domum composita.

7. Lagarias, Christianus Fridericus: De donacione principis
eminente jure majestatis.
8. Pertsch, Fr. Georg: De origine, usu et auctoritate
pallii archiepiscopalis. tom. I., qua --- lectiones
per semestre hibernum dabendas indicit.
9. Pertsch, Fr. Georg: De commodis, quae e pacificatione
Westphalica in theologiam redundarunt.
10. Pertsch, Joann. Georg: De jure subvasalli in sub.
fundo. fundu aperto.
11. Schubert, Carolus Fridericus: An ex l. Julia Augusti
poena adulterii fuerit mortis?
12. Seidel, Christophorus Martinus: De feto philosopho
practico
1749.
1. Eisenhartus, Fr. Fridericus: De eo, qui tristitia nunciavit,
quo minus quis judicio se sistat.

2. Eisenhart, Joannes Fredericus : De fidejussoribus datus
3. Eisenhart, Joannes Fredericus : De jure testamenti prodigo non competente
4. Hackert, Franc. Domin : De Sinesia, ne in foro ecclesiasticis fidei naturalis quidem licita.
5. Liechtenstein, Joach. Theodor : Observationes de jure Wicoburgico Saxonico ex documentis Altmunsterensibus illustratae
- 5^a. Mendlen, Jurispr. Theodor : De vera indole litterarum obligationis et acceptationis non numeratae pecuniae.
6. Schubert, Carolus Fredericus : De minori obligatione
7. Schubert, Carolus Fredericus : De justitia transactionis testamenti nondum inspectis tabulis ob sublata vicesimam hereditatem.
8. Jopp, Joann. Casparo Sigismundus : De causis legis legali uxori Christianae marito bonis labenti nuptiae vel ante concursus creditorum vel in qualibet ejus classe secundum jus commune competente.

H
SE
DI
E



11

1748, 2
2/1

CONSENSVM
IN FACTI ALIENI IMPVTATIONEM
VERVM IMPVTATIONIS ESSE FVN-
DAMENTVM PROBAT

ATQVE

ACROASIVM SVARVM RATIONEM

REDDIT

P. 93.

IOAN. CHRISTOPH. DOMMERICH

INCLITAE FACVLT. PHILOS. IN IVLIA CAROLINA CLEMENTISSIME CONSTI-
TVTYS ADIVNCTVS, SOCIETATVM LATINAE IENENSIS ET REGIAE
TEVTONICAE GOETTINGENSIS MEMERVM.



HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,

ACAD. TYPOGR.



CONSENSVM

IN FACI ALIENI IMPRATIOMIS

WRITUM IMPRATIOMIS HOC EST

PARITATE PROBAT

AGROBIVM SVAVIA PATTORIBV

REGIT

IOAN. CHRISTOPH. BOHME

IN FACI ALIENI IMPRATIOMIS

WRITUM IMPRATIOMIS HOC EST


PARITATE PROBAT

AGROBIVM SVAVIA PATTORIBV

REGIT

IOAN. CHRISTOPH. BOHME

IN FACI ALIENI IMPRATIOMIS





§. I.

DE imputatione doctrinam Philosophiae Practicae vniuersalis grauissimum, idque vtilissimum esse caput, credo fore neminem, qui vocet in dubium. Non iam in eo desudabimus, vt rationibus, quarum maximus sane adest numerus, hanc nostram euincamus propositionem. Rem ageremus actam, operam nostram perderemus, frustra que in re, nemini incerta aut dubia, probanda laboraremus. Qui Philosophiae limen vel tetigerunt, aut prioribus, vt dicunt, labris huius primae scientiae degustarunt dogmata, hos inter omnes constat, maximi sane interesse, hanc doctrinam distincte, solide & iusto suo ordine proponi ac tractari. Veteres primas quidem huius capituli duxerunt lineas, quas tamen admodum imperfectas reliquerunt. Recentiores vero Philosophi mirum quantum in illa distinctius proponenda fuerunt occupati. Nolo in memoriam reuocare nomina, quae vix quisquam debet ignorare, P VFFENDORFII, BARBEYRACCII, THOMA-

SII, GVNDLINGII, TREVERI. Omittam quae sibi, vt in tota Philosophia, ita etiam in hac potissimum doctrina, contraxerunt merita Viri, quorum nomina nullum vmquam delebit aeuum, nomina LEIBNITII & WOLFII. Tacebo insignes laudes, quibus post fata celebris HENR. KOEHLERVS maectandus est, qui hoc de imputatione dogma prae aliis perspicue & solide proposuit. Praeteribo denique varia aliorum systemata & scripta, in quibus in hac materia euoluenda defudarunt. Non est ergo, quod nostris temporibus conqueramur, hanc philosophiae practicae insignem partem haud satis excultam esse, aut pertractatam. Adeat, qui illam imbiberere cupit, auctores, quorum iam mentionem iniecti, firmissimeque sibi habeat persuasum, sitim suam plene restinctum iri.

§. II.

In tanta Virorum, qui in hac doctrina operam suam locarunt, celebritate vix aliquid adhuc hac de re dici posse quis existimet. Neque illum prorsus a vero abluere lubens concedo. Nihilo tamen fecius fieri vix potest, vt veritatum immensus campus ita a quibusdam circumscribatur, vt alii illius amplificandi facultas omnino praecisa sit, ac praecclusa. Non omnia exhauriuntur, quaecumque etiam optima a quibusdam proferuntur. Sunt gradus in rebus, sunt quoque inter lectissimos quosque auctores certi scientiarum gradus. Quis enim cogitaret, hos Philosophiae Patres simili gaudere perspicuitatis, soliditatis, ordinis & perfectionis quantitate? Hic multa omisit, quae alter suppleuit: is confuse multa dixit, quae alius in ordinem redegit. Quae cum olim, & semper fuerit eruditionis ratio, nihil impedit, quo minus eandem adhuc obtinere contendamus. Nemini ergo
mi-

mirum videbitur, si & nos, pro virium nostrarum tenuitate, quaedam scribenda nobis sumimus, quae ad hanc de imputatione doctrinam spectant. Multa quidem nobis erunt dicenda, quae ab aliis dicta iam sunt, non omnia tamen ea ratione, eo ordine, ea mente scripta iam esse confidimus. Obseruauimus enim, quando de imputatione facti alieni sermo est, ad quam consensum requiri constat, non satis praecise aut curate hac de re agi. Volunt enim plerumque, vt is, cui factum alienum imputatur, in illud ipsum consentiat. Id vero minime necessarium arbitramur. Statuimus enim, consensum in facti alieni imputationem verum iam esse eiusmodi imputationis fundamentum. Operae pretium ergo nos facturos arbitrati sumus, paulo studiosius in hanc propositionem inquirentes. Quod vt fiat, primum quaedam de consensu ad facti alieni imputationem necessario differemus: deinde vero ipsius nostrae thesios probationem suppeditabimus.

§. III.

Imputationis variae dantur definitiones, quas egregie illustrauit Cel. CAR. GOTH. MULLERVS in Philosophia sua Practica, ad quam Lectores nostros ablegare liceat. Nos tantum dicimus, *imputationem* esse declarationem alicuius pro facti auctore. Si vero quis facti auctor dicitur, id duplici fieri potest ratione. Aut enim nude & absolute tantum facti auctor dicitur sine vlla ad facti quoad legem consecretaria relatione, aut eo consilio, vt ad facti secundum legem consequens etiam attendatur. Primum si obtinet, imputatio nonnullis *metaphysica* audit, posterius vero, imputationem constituit *moralem*. Hinc facile colligitur, metaphysicam imputationem quidem sine morali esse posse, non vero vice versa. Quando

do in Philosophia practica de imputatione sermo est, non de metaphysica, sed morali agi solet, quam & nos iam disputamus. Imputatio ergo ex mente nostra est declaratio alicuius pro facti auctore, quatenus consecutaria facti, ex lege oriunda, ad eum quoque debent referri. Vbi ergo locum habet imputatio, ibi adfit necesse est & lex & factum & applicatio legis ad factum. Recte ergo a nonnullis imputatio dicitur applicatio legis ad factum.

Obf. Adplicare nihil aliud est, quam indicare vniuersali conuenientia vel repugnantia conuenire vel repugnare sub eo contentis. Imputatio ergo est iudicium, & quidem discursuum, cuius veritas ex aliis debet constare. Hinc est ratiocinium, quod facile ab aliis demonstratur.

§. IV.

Cum omnis imputatio sit ratiocinium §. III. obf. omne ratiocinium autem sit vel verum vel falsum (per Log.) imputatio etiam est vel vera vel falsa. Illam oriri patet, si quis vere pro facti auctore quoad consecutaria actionis, quae ex lege pendent, declaratur; hanc vero si secus res se habeat. Varii possunt huius falsitatis statui modi. Ratiocinium enim vel in materia vel forma peccare posse liquet. Hinc imputatio etiam vel in materia, vel in forma manca esse poterit. Vitium enim aut latet in falsa legis cognitione, si quid pro lege habetur, quod non est, & non habetur pro lege, quod tamen vere lex est, aut in sinistra legis interpretatione, quae facile fit, aut in erronea facti cognitione tam philosophica quam mathematica, aut denique in applicatione ipsa, si ex praemissis vel veris vel falsis falsa deducitur conclusio. Fufius haec possent tractari, nisi tam angustis; circumscripti essemus limitibus.

§. V.

§. V.

Causa facti dicitur id, quod continet rationem existentiae facti: quae duplex est *physica* & *moralis*. Illa efficitur membrorum corporis adplicatione ad facti existentiam, haec vero, quatenus ex eius voluntate facti existentia pendet. Inde quoque facile videre est, quid sit factum *proprium*, & *alienum*. Si causa moralis simul est causa physica factum hinc proficiscens dicitur *proprium*. Si vero causa physica extra causam moralem existit, prodit factum *alienum*.

§. VI.

Causae physicae qua tali facta imputari nequeunt. Cum enim causa physica qua talis nullo gaudeat rationis usu §. V. hic vero per definitionem facti, quod est actio libera sub certis circumstantiis ad legem relata, ad imputationem sit necessarius §. III. neque causae physicae, qua tali, facta poterunt imputari.

§. VII.

Causae morali factum solum potest imputari. Cum enim is, cui factum imputatur, debeat illius esse causa §. III. causa facti autem vel physica vel moralis sit §. V. & causae physicae factum nequeat imputari §. VI. sequitur factum soli causae morali posse imputari.

§. VIII.

Facta propria imputari possunt. Cum enim imputare nihil aliud sit, quam aliquem pro facti auctore declarare, quatenus actionis consecutaria secundum legem ad illum quoque referuntur §. III. facta propria autem requirant, ut aliquis eorum tam causa moralis sit, quam physica §. V. hinc auctor: potest etiam pro illo declarari. Hinc facta propria possunt imputari.

§. VIII.

§. VIII.

Facta aliena ei, qui illorum est causa moralis, solum imputari possunt. Cum enim causae morali facta imputari possint §. VII. facta aliena aurem habeant causam physicam extra moralem existentem §. V. cui imputatio fieri nequeat §. VI. sequitur facta aliena, non nisi causae suae morali, posse imputari.

§. X.

Consentio quando idem volo aut nolo, quod alter vult, aut non vult, vt aut suscipiatur aut omittatur. Hinc consensus est voluntas aut noluntas eiusdem facti, quod alter vult, aut non vult. Recte ergo consensus identitas voluntatum in hoc vel illo facto vel suscipiendo vel omitendo dici potest.

§. XI.

Qui in factum alienum consentit, eius fit causa moralis. Si enim consentit, vult vt factum perficiatur §. X. iam ille a cuius voluntate facti existentia pender eius dicitur causa moralis §. V. qui ergo in factum alienum consentit, eius fit causa moralis.

§. XII.

Consensus in factum alienum imputationis illius ratio sufficiens est. Cum enim per consensum in factum alienum aliquis fiat eius causa moralis §. XI. causae morali autem factum imputetur §. VII. VIII. sequitur per consensum talem factum alienum rite imputari.

§. XIII.

Consensus ad imputationem facti alieni necessarius est. Cum enim absque consensu aliquis non fit facti alieni causa moralis §. XI. illud vero non nisi causae morali possit imputari §. VII. sequitur absque consensu alieni facti imputationem nullum habere locum. Hinc consensus ad facti alieni imputationem necessarius est.

§. XIV.

Probatum huc vsque dedimus, consensum in factum alienum eiusdem imputationis rationem esse sufficientem §. XII. & per consensum aliquem fieri causam facti alieni moralem §. XI. quem etiam ad imputationem necessarium demonstrauius §. XIII. Iam ergo quaestio exoritur, vtrum aliquis facti alieni possit esse causa moralis sine facti ipsius adprobatione? Quod vtique adfirmamus. Liceat enim nobis penitius rem inuestigare, vt adfertur veritas eo magis elucescat. Causa moralis dupliciter iterum poterit considerari vt *realis & moralis stricte sic dicta*. Priorem dicimus illam, a cuius voluntate ipsum factum ita pendet, vt illud adprobetur & in illud consentiatur: hanc vero in eo ponimus, si quis se pro facti auctore, quoad eius consecretaria secundum legem, vult haberi, licet factum ipsum non adprobet, sed potius detestetur.

Obf. Potest haec subtilior distinctio multis illustrari exemplis in vita communi obuiis, quorum tamen nonnulla tantum adducere lubet. e. g. Aliquis aes alienum, quod alter suarum opum profusione sibi contraxit, in se potest suscipere soluendum, atque declarare, vt ipse aeris alieni auctor habeatur, licet hanc bonorum decoctionem minime adprobet. Fit ergo causa moralis stricte sic dicta huius debiti, licet eius non sit causa moralis realis. Ponas etiam, quemquam incauta linguae proteruitate poenas sibi contraxisse, alium vero velle, vt ipsi haec irrogetur poena, non opus est, vt hunc linguae abusum adprobet, & sic plura.

§. XV.

Iam ergo quaeritur: vtrum causae morali stricte sic dictae factum alienum iusto possit imputari? Quod contendimus. Pone enim, quod non, tunc imputatio erit iniusta. Haec imputationis iniustitia vel erit ex parte imputantis, vel eius, cui imputatur. Ex parte imputantis

B

es-

esse haud poterit. Cum enim alter pro facti auctore haberi vult, is non iniuste agit, illum pro tali declarando. Nolenti enim non fit iniuria. Neque ex parte eius, cui imputatur, erit iniustitia. Cum enim expressis testetur verbis, se velle ut facti auctorem considerari sine facti adprobatione, & hoc sine alterius damno, & sui ipsius interitu fieri possit: nullam video ex parte eius, cui imputatur, iniustitiam. Hinc talis imputatio omnino iusta esse debet. *Causae ergo morali stricte sic dictae factum alienum iusto potest imputari.*

§. XVI.

Confectaria factorum secundum legem sunt vel mala vel bona: priora *poenae*, posteriora *praemia* adpellari solent. Imputatio moralis consistit in declaratione alicuius pro facti auctore, quoad illius consectaria secundum legem: hinc quoad poenas vel praemia. Is ergo cui factum imputatur vel poenas vel praemia inde redundantia debet suscipere.

§. XVII.

Facti alieni poenae vel praemia in illud consentienti deferuntur. Cum enim consensus in factum alienum imputationis eiusdem ratio sit sufficiens §. XII. haec vero consistat in adplicatione poenarum vel praemiorum ex facto alieno proficiscentium §. XVI. Ill. sequitur per consensum in factum alienum eiusdem vel poenas, vel praemia deferri.

§. XVIII.

Poenae vel praemia facti alieni causae morali stricte sic dictae rite adplicamur. Cum enim causae morali stricte sic dictae factum alienum possit imputari §. XV. hoc vero vel poenarum vel praemiorum adplicatione fiat §. XV. sequitur poenas vel praemia facti alieni causae morali stricte sic dictae rite adplicari.

XVIII.

Obiectioni hac occasione occurramus necesse est, quam facere nobis quis posset. Demonstravimus huc usque causae morali stricte sic dictae factum alienum quoad poenas vel praemia posse imputari. §. XIV-XVIII. Diceret vero aliquis, neminem in suum posse consentire interitum, neminem sui perdendi habere facultatem, neminem iure poenas ad destructionem suam facientes sibi contrahendi pollere: hinc neque causam moralem stricte sic dictam ad facti alieni imputationem, quoad poenas, posse consentire. Cum enim absolutam nemo in se habeat potestatem, neque vllus sui independens sit dominus, Dei creatoris & conseruatoris imperio subiectus: nemini quoque licere, se ire perditum, aut in suum consentire exitium. Omnia haec salua tamen nostra sententia concedimus. Fieri enim potest, vt aliquis sit causa moralis stricte sic dicta, etiamsi non in suam internecionem consentiat. Non enim omnis poena exitium rei aut interitum inuoluit. Quod si vero quis in poenam, sibi factalem, consentiret: tunc sane in se foret iniurius. Hinc talis imputatio neque iusta dici posset.

E. g. Si facinorosus ad supplicium deductus ab alio quodam ita posset liberari, vt is eius poenas in se vellet suscipere, mortemque pro illo oppetere: iste redemptor sane iniuste ageret, vitam suam nefarie profundens, cuius tamen neque auctor est, neque Dominus. Talis ergo redemptio locum habere non posset: hinc imputatio ista foret iniusta. Caue vero haec ad Christum, generis humani redemptorem, adplices. Is omnino pro hominibus mortem subire potuit, cum vitae suae fuerit Dominus. Ita enim optimus inquit seruator: *διὰ τὸτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, ὅτι ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχὴν μου, ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν. ἅδεις ἀγχεί αὐτήν ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθημι αὐτήν ἀπ' ἐμαυτοῦ. ἐξουσίαν ἔχω θεῖαι αὐτήν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. ταύτην τὴν ἐντολήν*
B 2 *ἔλα-*

ἐλάβον παρὰ τῆ πατρὸς μου. Ideo me pater amat, quia animam meam pono, ut eam resumam. Eam mihi nullus eripit, sed eam ipse mea sponte pono. Potestatem habeo eam ponendi, itemque potestatem habeo, eam rursus sumendi. Hoc praeceptum accepi a patre meo. Io. X. 17. 18.

§. XX.

Consensus in facti alieni imputationem verum est imputationis fundamentum. Cum enim per consensum in facti alieni imputationem aliquis facti alieni fiat causa moralis stricte sic dicta §. XIV. & hinc imputatio iuste fieri possit §. XV. sequitur, consensum in facti alieni imputationem verum esse imputationis fundamentum.

§. XXI.

Promissum dicimus sermonem, quo nos, respectu alterius, aliquid vel facturos vel omissoiros esse adfirmamus: quod tunc *acceptatum* dicimus, si declaratur, nos velle, ut id fiat vel omittatur, quod alter respectu nostrum futurum aut omissoirum se esse proposuerat. Promissum ab altero acceptatum dicitur *pactum*, & is qui promittit, & alter qui promissum acceptat dicuntur *paciscentes*.

§. XXII.

Ad pactum requiritur paciscentium consensus. Cum enim consensus in eo versetur, ut aliquis idem velit aut nolit, quod alter vult, aut non vult §. X. paciscentium vnus autem promittat, & alter promissum acceptet §. XXI. hinc idem velit, aut nolit, quod alter, sequitur ad pactum paciscentium requiri consensum.

§. XXIII.

Vbi adest mutuus consensus ibi etiam est pactum. Consensus enim mutuus dicitur plurium voluntatum identitas §. X. haec vero constituit pactum §. XXI. XXII. ergo vbi mutuus locus habet consensus ibi etiam pactum obtinet.

§. XXIII.

§. XXIII.

Quod si quis declarat, se velle, ut actionis consecraria in se ab alio deriuentur, licet ipsum factum non adprobet, & aliter testatur, se id facturum: tunc adest pactum. Pactum enim requirit promissum ab altero acceptatum. §. XXI. Iam si quis declarat, se alteri factum imputaturum, in cuius imputationem consenserit, & alter testatur, se velle, ut id fiat, tunc non solum adest promissum, sed & promissum ab altero acceptatum. Hinc pactum. Nullum ergo est dubium, quin in tali casu pactum obtineat.

§. XXV.

Pactum quod vel ad vtriusque vel alterutrius pacifcentium infelicitatem spectat, nullum est (per Iur. Nat. princ.) hinc neque tale pactum iniuri potest, quod §. praecedenti significauimus, si ad vtriusque vel alterutrius interitum faciat. Sed cum eiusmodi pactum sine hac conditione possit pangi: sequitur illud hac ratione posse esse iustum.

§. XXVI.

Si ergo inter imputantem & illum, cui volenti factum imputatur, legitimum adest pactum, nullum sane residet dubium, quin eidem legitime factum possit imputari. Cum enim pacta legitima sint seruanda (per Phil. pract.) sequitur deberi etiam illi factum alienum imputari, qui in istam imputationem consensit. Hinc talem consensum verum imputationis fundamentum constituere probauimus.

§. XXVII.

Frustraneam forsitan aliquis hanc nostram iudicaret disquisitionem, ac prorsus sterilem. Sed veniam dabit nobis contententibus, illam in Theologia maximam praestare vtilitatem. Demonstrauit iam hoc Vir, omni laude

nostra maior, Academiae nostrae ornamentum, venerabilis D. IOANNES ERNESTVS SCHVBERT, Fautor ad vltimum vsque vitae halitum deuenerandus, in Programmate suo auspicali, quod ipsum nobis de hoc argumento scribendi ansam dedit. Quem enim fugit in Theologiae reuelatae mysteriis caute doceri, Christo generis humani redemptori hominum peccata a Deo esse imputata. Quod si ergo ad omnem imputationem consensum in ipsum factum necessarium esse diceremus: tunc sane multa forent concedenda, quae de Christo doctrinae palam contraria esse probari posset. Cum enim Dei Filio hominum peccata imputata sunt, sequeretur illum in ipsa peccata consentire debuisse. Quod si vero in illa consensisset, sequeretur illum horum causam esse moralem & quidem realem: hinc ipse peccasse iure argueretur. Quis vero hoc de sanctissimo Dei Filio contendere auderet? Quis illum peccatorum reum ageret? Quis sanctitati eius tam nefario modo detraheret? Fieri ergo nequit, vt in hominum peccata consensisse dicatur. Quod si vero hoc factum negamus, & tamen hominum peccata ipsi imputata esse extra omnem dubitationis aleam positum est: sequitur, illum tantum in peccatorum imputationem, non vero in ipsa peccata debuisse consentire. Quod sane ad generis humani redemptionem sine vlla sanctitatis & diuinitatis suae laesione facere potuit. Neque Deus pater iniuste egit, illi generis humani crimina imputans, & poenas inde oriundas ab illo repetens. Qui ergo huius a nobis demonstratae propositionis summam vtilitatem in dubium vocet, credo fore neminem.

§. XXVIII.

Maiorem huic Christo factae generis humani peccatorum imputationi adfundere adhuc lucem possumus, ad
foe-

foedus attendentes, quod diuinae inter se personae ad hominum redemptionem percusserunt. (*) Cum enim illi, qui magnum hoc perficere vellet negotium, peccata hominum essent in se suscipienda, Filius Dei vltro promissit, se id facturum, licet omnia peccata pro sua sanctitate perfectissima quam maxime detestetur, minimeque illa adprobet. Hoc Filii promissum pater acceptauit, ex illo hominum peccata ipsi imputans, ita vt illum pro auctore declarauerit, iisdemque poenis adfecerit, quas homines luere oportuisset. Vera ergo fuit haec Christo a patre facta peccatorum humanorum imputatio, licet Christus in illa ipse non consenserit.

§. XXVIII.

Haec sunt, Lectores Beneuoli, quibus primum Vos ausus sum adloqui, cum Musarum hanc inclitam sedem ingressus sum. Factum est enim, nescio quo Diuinae Prouidentiae nutu, vt, patriis laribus relictis, almam hanc Iuliam Carolinam salutare mihi contingerit. Singularis in me, quam submississime deueneror, *Serenissimi Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis, Domini CAROLI Principis ac Domini nostri longe clementissimi, gratia me Inclito Philosophorum in hac Academia Ordini Adiunctum clementissime adscriptum Vestris, Commilitones Optimi, inseruire commodis indulgentissime voluit.* Nihil sane magis in votis habeo, nihil magis curae, cordique mihi est, quam vt laboribus, quibus prouida *Serenissimi Principis nostri gratia me ornauit, a me fiat*

(*) Legatur de hoc foedere Viri S. R. D. SCHVBERTI Rede von den Verdiensten des dreieinigen Gottes um das Heil der Sander. Eiusdemque Praefatio in librum a me nuper editum, cui titulus est: Schriftmäßige Preisung der Etre von der Persönlichen Zursprache des heiligen Geistes. 4. Lemgo. 1748.

fiat satis. Ne ergo officio meo defuisse videar, en statim, vt hanc bonarum artium & scientiarum Vniuersitatem attigi, totum me Vestris trado vsibus. Qua ratione autem id commode fieri possit, accipite lectiones, statim post Pentecostes Ferias, a me habendas.

§. XXX.

Metaphylices sequentes partes Ontologiam, Psychologiam empiricam, Cosmologiam, & Psychologiam rationalem Hor. IV-V. secundum S.R.D. SCHVBERTI Institutiones Metaphylicas ea, qua fas est, diligentia in publicis meis lectionibus explanabo. Quodsi autem pomeridiana haec hora Dominorum Commilitonum nonnullis minus videretur commoda, de illa, cum commodiore commutanda, mecum facile poterunt communicare.

§. XIX.

Hor. XI-XII. priuatam Lectionem cursoriam Hebraicam in Pentateuchum ita instituum, vt in resoluendis vocibus difficilioribus, & explicandis locis obscurioribus Dn. Auditorum commodis inseruire studeam.

§. XXXII.

Mathesin puram duce Illustri L. B. de WOLF in dem Auszug aus den Anfangsgründen aller mathematischen Wissenschaften priuatim hor. II-III. ita praelegam, vt quae huic compendio deesse videntur, breuissimis scribenda suppeditem. Tribus hisce praelectionibus quinque priores hebdomadam dies sunt destinati.

§. XXXIII.

Hi sunt labores mei auspicales, quos Vobis, Auditores Dilectissimi, sacros esse cupio. In id sedulo enitar, vt temporis breuitatis ita habeatur ratio, vt finito hoc semestri illis quidem etiam finis imponatur, nihil tamen scitu necessarium in lectionibus omittatur. A Vestro ergo iam pendet fauore, Generosissimi & Praenobilissimi Domini Commilitones, vt laboribus hisce meis exiguis, quorum initium Deo volente d. X. Junii fiet, Vestra frequentia splendorem concilietis & ornamentum: id quod Vos obseruantissime rogo. Valete ac mihi fauete. Dedi in Iulia Carolina. Helmstadii Iphis Calendis

Iunii anni a. f. n. c. b. D. C. C. XLVIII.

Helmstedt, Diss., 1748-49

ULB Halle

3

005 350 832







D. 93.

1748, 2
2/1

CONSENSVM
IN FACTI ALIENI IMPVTATIONEM
VERVM IMPVTATIONIS ESSE FVN-
DAMENTVM PROBAT

ATQVE

ACROASIVM SVARVM RATIONEM

REDDIT

IOAN. CHRISTOPH. DOMMERICH

INCLITAE FACVLTVS. PHILOS. IN IVLIA CAROLINA CLEMENTISSIME CONSTI-
TVTVS ADIVNCTVS, SOCIETATVM LATINAE IENENSIS ET REGIAE
TEVTONICAE GOETTINGENSIS MEMBRVM.



HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR.

